1213.c.1
f.N.a.
16
A

D. GVALTERI HADDONI, RE-GII PROFESSORIS IN IVRE Ciuili, Cantabrigienses: siue Exhortatio ad litteras.

LONDINI,
EX OFFICINA
RICHARDI GRAFTONI,
Regij Impressoris

Anno Domini,
1.5.5.2.

20

MVSEVM
BRITAN
NICVM

CLARISSIMO HEROI DOMINO IOANNI Dudlæo Comiti à Varuico, ac Domino Liſlæo, omnium bonas literas diſcentium, ac pietati ſtudentium, Patrono benigniſsimo: Thomas Vuilſonus Salutem in Chriſto perpetuam.

NVPER, CVM ESSEM Cantabrigiæ animi cauſa, (illuſtriſsime Varuicenſis) nõ ſolum ipſe me oblectaui veterum amicorum conſuetudine, & in illis acquieui: ſed etiã fructum ex collocutione longe vberrimum percepi. Nunc Londinũ reuerſus ad te venio officij cauſa, non vt me ſolum vultu oſtendam, & te, meo more ſaluere iubeam: ſed etiam vt aliquam meæ erga te voluntatis ſignificationem tibi oſtendam. Nam cum virtutes tuas, & amorem in me tuum conſidero,

non solum, valde te diligo, sed (vt ἐμφατικώτερον dicam) valde te amo, sic vt voluntatem tibi meã, & studium, valeam emetiri: & propterea iam gaudeo mihi vel hãc dari occasionem, qua tibi mea tandem aliquando probetur fides. Tametsi enim firmitudo omnis beneuolentiæ, & stabilitas perpetuæ copulationis non rebus & symbolis constent, sed animorum constantia & charitatis ardore ad omnẽ memoriam duraturo: tamen aliter sibi nõ possunt satisfacere, quibus mens est syncera, & honestatis iudicio firmiter roborata, nisi aliquo officij genere studium suum pro sua quisque parte attestentur. Possum abesse aliis, quibuscum mihi nulla, aut certe perexigua intercedit notitia, aut saltem licet, per interualla rales salutare, & bene tantum, precari;

cari: abs te vero nec abesse possum quoniam tu mihi numquam defuisti, nec te leuiter salutare licet, quoniam salutis meæ & totius vitæ ratio tibi curæ est Nã tu vnus, (post Ducem Suffolciæ honoratissimũ, & dominum meũ benignissimũ, cui ego meam debeo obseruantiã, & famulum me agnosco deditissimum) multis nominibus me tibi plurimum deuinxisti: & propterea potes tuo iure Vuilsonum inter tuos accensere. Absens igitur & te cogito, & præsens te saluto, & quoniam rara auis es, & virtutum excellens patrocinium: munus tibi offero, pro ratione & dignitate rei clarũ, pro nanciscendi conditione multiplex, & peregrinum. Equidem nec detrectabo palam dicere, quod clam feci (quoniam peropus est) nec vnquã pro me ipse depre-

cabor post rem narratã, (quoniam laudabile est) sed potius ob rẽ gestam gloriabor si liceat, aut saltem in sinu gaudebo, quoniam ipsa facti ratio ab honestate non abhorret. Alienam commentationem in vulgus spargo, authore etiam ignorante, & nihil tale de me vel suspicante, & excudendã curaui tanti viri orationem, dignam certe, quæ ab omnibus legatur, dignam, quæ ab omnibus intelligatur, quæ paucis ante & Cãtabrigiensibus tantũ, nota fuit. Ergo furtum (dicet aliquis) admisisti Et furtum quidem agnosco (fatendum enim est) sed tale tamen, quod glorioſum sit, laudabile, ac præ se ferendũ, quod non solum in rep. ferri debet, sed quod etiam ab omnibus bonis gratiam commereatur, atque adeo efflagitet. Nam cum finis huius furti sit

ti sit, prodesse multis, obesse nulli: ipsa quoq; surripiendi actio laudabilis esse debet. Pium facinus est, quod in commune consulit. laudabilis etiam inuidia est, quæ doctrinæ causa exardescit. Neque virtutis sicut aliarum rerum vlla debet esse satietas. Nec qui vehementi studio prouectus est dicẽdi, is modum transire dicitur. Nam in recte factis statui modus non potest, sed is optime, qui longissime. Ergo cum sic se res habeat, bene est, nec vt aliter sit, esse velim. Ipsa per se oratio, aliena non eget commendatione, præsertim cum tam fructuosa sit, & tam salubriter ad omnem honestatem animos omnium permoueat, vt nõ Cantabrigiensibus solum prodesse possit, sed etiam omnibus literarum amatoribus magno vsui sit futura. Mirabiliter ea

nim inflãmat (si quid ego possum iudicare) non solum iuuèntutem, sed etiam omnis generis multitudinem, vt dent se ad studia, vt uirtutem colant, & mentem omnibus perpoliant ornamentis. Cæterum non est opus (Heroice Varuicensis) te cutrentem incitare, quem videmus in omni genere laudis efflorescere, Historias omnium temporum diligenter euoluere, sacra Biblia summa animaduersione pernotare, & in Mathematicis tã laudabiliter promouere, & ad omnẽ præterea dignitatem & splendorem sic ascendere, vt cuncti tuas virtutes admirentur, collaudent omnes, ad earum commemorationem obstupescant vniuersi. Istud igitur tantum contendo, vt tam celebrem tanti & talis Haddoni orationẽ in tuo nomine apparere patiaris

tiaris, vt te Patronum intelligat, quem ille vnum sic amat, & omni obseruantia colendum putat: vt si nõ alia causa, certe ob eam (credo) causam mihi veniam daturus sit (si quid admisi offensionis) quod alienum & suum bonũ Heroi tam præclaro commendandum curaui. Enitere ergo (ut facis) excellens Varuicensis, & solita humanitate bonos & doctos comprehende, multam gratiam apud omne genus hominum colliges, monumentis literarum æternum viues, & inter illustres, euades illustrissimus. Deus tibi tuos honores adaugeat, vitam tueatur, & immortalitatem veræ & æternæ beatitudinis concedat.

Vale.

GVALTERI HADDONI, CANTABRIgienſes, ſiue exhortatio ad literas.

QVANQVAM DIV peregrinata valetudo mea morborum in cœco mari, ueſtris auribus & oculis abfuit, & vix adhuc hanc nouã ſcholarum lucem aſpicere poteſt: tamẽ cum ſanitatis quaſdam reliquias ex ægritudine recreatus (tanquam ex grauiſsimo quodam naufragio) recollegerim, eas ipſas ita vt ſunt, vobis repræſentandas & in conſpectu veſtro collocandas eſſe exiſtimaui. Summis enim ſemper & incredibilibus ſtudiis veſtris vſus ſũ: & me rurſus infinita quædam cupiditas tenuit ueſtris in auribus cõmentandi

mẽtandi. Quo factum est, vt adolescentiæ primum illa priora, deinde iuuentutis hæc etiam meæ posteriora tempora vestris tẽporibus omnia trãsmitterem. Et cum singulos ætatis meæ gradus animo complector, nullũ a vobis remotũ inuenio, nisi quem natura vel morbus dẽsiunxerit. Postrema vero pestis hæc corporis fuit ea sane terrima omnium. Nam salutares naturæ succos exorbuit, & neruos prope omnes mentis elisit: itaque tam longe hæc calamitas me a vobis abduxit, & in ea tam alte cecidi, pedibus vt ingrediens, animo non consistã, & morbo liberatus, morbi tamen memoria terrear. Qua propter mea grauis hæc & vehemens cum animi, tũ corporis perturbatio, uestra primum æquitate sublenãda, deinde etiam alacritate ad-

te adiuuanda & corroboranda est. In quo duplex vobis consideratio esse debet. Primum erit, illum superiorem tantopere probatũ vobis Haddonum vestrum, vi morbi fractum & abiectum, restare quãdam adhuc eius quasi effigiem, vtcunq; cohærentem, facultate pene nulla, volnntate sane non contemnenda. Secundũ est, vt hoc ipsum apparens in oculis vestris eius simulachrum, & animis occursans, quantum vobis cunq; exile & imminutum videtur, tamen propius aspicere velitis, & animis cõprehendere. Quæ duo si vestra benignitas large dabit, & vt solet: primum maximas pro beneficio vobis gratias agam, deinde grandes etiam & vberes ex assiduitate vestra fructus pollicebor. Quanquã enim intermissa mihi diu, tamen non

non omnis amissa dicẽdi ratio est, & licet magna ex parte repressum sit ingenium, tamen non sic omnino depressum est, vt se rursus non possit attollere, præsertim si flatus aliquis studiorum vestrorum se ostenderit. Ego vero prius excellẽtissimi Præceptoris mei Thomæ Smithi Vicarius, nunc Regiæ Maiestatis beneficiarius sum, & ætate processi nonnihil. Itaq; si minus sciens ad vos reuertor, tamen (vt arbitror) non minus sapiens: & eloquentiam si forte minorem affero, tamen authoritatem affero sane maiorem. Quapropter ante qui summisse loquebar, & uix in alieno munere vocem audebã mittere, nunc meam ipse rẽ agens dilatabo spiritus, & libere vociferabor, & vt ab omnibus exaudiri possim. Qui sunt autem isti clamores

aut

aut quæ tandē hæc vociferatio esse debet? Dicam aperte, quoniam necessario dicendum est, minime sane libenter omnes reprehendens, sed communem potius culpā nostram confitens, vt ea quam primū omnes exoluamur. Languori nimium nos ipsos dedimus & ignauiæ, scholas in solitudine relinquimus & vastitate, quas cum Maiores nostri, cōmunes nominari voluissent, propter libere cōmeantes in illis vltro citroq; literas, nostra desidia sic contractæ sunt, & tam insignem ad paucitatem reciderūt, vt quorundam professorum certæ sedes, non vniuersitatis communes scholæ posthac nobis cognominādæ sint. Sed nec in his solum inertia nostra locis delinquit (quanquā grauissime quidem in his, quoniā publicæ quædam studiorum exi-

stunt

stunt & ingeniorum officinæ) ver-
rum etiã serpit sane foras & in col-
legiorum se latebris occulit ingẽs
& horribile peccatũ, o bone Deus
& ab ipso illo Deo quem iurauisse
uere vindicãdum, nisi nos ipsi ma-
ture correxerimus. Hic enim Deus
orbis summus Imperator, vnum-
quemq; nostrum tanq; in propria
statione collocauit, vt mutuis offi-
ciis communem Reip. societatem
gubernaremus. Eandem in nobis
spem necessariorum pietas inse-
quuta, magnis impensis enutriuit.
Eandem a nobis diligentiam Aca-
demia suis incolis stipulata est, &
nos iurati spopõdimus. Eãdẽ vni-
uersa patria requiret cũ in illa dis-
seminabimur. Et tum quidem aut
præstãda nobis erit, aut relinquen-
dum totũ hoc humanitatis nomen,
in quo studia se nostra semper ma-
xime

ximè iactauerunt. Equidem non solum humanitatem hanc nostram doctrinæ propriã, sed nè illam quidem communem omnium hominum retinere possumus, nisi publicam hanc optimarum Artiũ mercaturam ingressi sic collaboremus vt ex opibus & copiis nostris, primum nobis ipsis seponi, deinde etiam in alios deriuari possit. Meum autem commertium licet proprie cum legibus sit, & in Iurisconsultorum subsellijs habitet, tamẽ migret sane paulisper & conticescat illa subtilis & præcisa legum iustitia, sumatur Philosophiæ populatis altera, quæ latis viis it, & quam Aristoteles quasi Luciferum ad omnes actiones nobis prælucere dicit. Hæc certe ruit omnibus partibus & vniuersa interit, dũ nec prudentiam insequimur rerum causas

inuestig

inuestigantes, nec fortitudinẽ confirmamus laborum patientia, nec intemperantiam excludimus, animis otio mollitis. Tria principalia uiris præcepta sunt, ex quibus primum & maximum est vt honeste viuamus: igitur honestas vitæ nisi forte a vobis aliena est, ne hãc quidem meam de communibus studiis orationem a vobis alienam existimare debetis. Pellatur itaq; tandem animis nostris omnis ignauia tollantur, imo trahantur potius & funditus eradicẽtur desidiosæ cessationes. Eiiciatur & asportetur (si nullo alio admonẽte, at me obtestante & inclamante) monstrũ illud multiplex, concretum ex omnium vitiorum colluuie, pestis studiorum, expultrix uirtutis, vniuersæ nequitiæ semen, ocium. De quo tanquam diro quodam & ne-

fando veneno loqui nõ libet, lõge exterminetur a noſtris oris, abligetur áb omni ſenſu mẽtis & corporis, deportetur aliquo in vltimas terras, vnde nec nomẽ quidem ad nos vnq̃ redire poſsit. Ad labores veniamus, cõmentationes, vigilias & oĩs generis exercitationes, quibus tanq̃ ſaluberrimo quodã paſtu mentes reficiuntur, & aluntur. Neq̃ ſi cõniuebãt noſtri maiores, propterea nobis ſtertẽdũ erit. Imo vero cõtra, ſtertere poterãt illi ſane ſi volebãt impune, nobis ne cõniuere quidẽ licet ſine ſummo ſcelere. Nã & maximis abũdamus præſidiis omniũ diſciplinarũ quibus illi carebant, & optimorũ doctorũ multitudine floremus, quos prior ætas habere nõ poterat, & extrema nobis adiumẽta deus, & plura profudit & maiora, q̃ ex vlla ſuperiorũ tẽporũ memoria repeti poſſunt

Quæ

Quæ dū particulatim vobis breuiter expono, diligenter quæso, quēadmodū cœpistis, attendite. Quoniā aūt vt frumētū ex spicis excutitur, sic ex libris eruitur doctrina, primū illos ipsos videamus, quorū monumētis oia maximarū artiū studia fundata sunt. Illis Cicero suæ eloquētiæ præclarissimā arcē exædificauit. Illis Aristoteles multiplicē acuminis subtilitatē limauit. Illis Zeno voluminū suorū infinitatē, illis Plato Philisophiæ varietatē oēm cōbibit. Illis nata, illis progressa, illis cōfirmata & cōsignata tota doctrinarū ratio est. Manētibus illis literæ diu steterūt & remāserūt. Eisdē post incursione Barbarorū Principū obrutis & deletis, secutæ sunt miserabiles ignorationis tenebræ, quibus maiorū nostrorū ætas oppressa est, & nostra etiam illis infecta erat.

Mea enim memoria ranæ Scholasticæ in Sacris scripturis obstrepebant. Totum nostrum ius, Accursianorum fœcibus oblitũ erat vsq; eo Papinianus vt si reuiuisceret, aut ex sæculo priore Sceuola, leges ipsi suas non agnoscerent. Medicinam, Arabum scabies ita omnẽ occupauerat, vt medicinæ ipsi opus esset Medico. Philosophiam, atq; humanitatem adeo omnem, transmarinæ sordes inquinatissimorum Scriptorum sic contaminauerant, vt nihil in illis synceri & salubris succi relinqueretur. Nos autẽ vndique circumfusi sumus libris excellentissimis doctrinarum cuiusque generis. Euangelij lux, diuinis literis explẽdescit. Iustinianus in solio sedens, Caiorũ & Paulorum oracula respondet. Medicinam, Galenus & Hippocrates administrant.

Philoso-

Philosophia, Platonis fluit fõtibus & Aristotelis: in omni vero dicẽdi ratione nos & scribendi, Cicero sic expolit, vt Ciceronianorũ nomẽ etiam in sermonibus indoctorum hominũ increbuerit. Magna sunt hæc adiumenta mutorũ Magistrorum: sequuntur illorum qui loqui ipsi possunt. Et quidẽ illos potissimum ipsos consideremus, quorum præsens his temporibus nobiscum sermo est. Primum sumamus eum qui de Sacris scripturis ad nos concionatur, quanta varietate literarum, quam exquisito iuditio vir? Secundus sit sane meus qui Vicarius fuit, quoniam ius Ciuile secundum nostram religionẽ præstantissimum esse arbitror: huius si non optime instituta oratio, at præclarissime cõstituta ratio est, multum vidit, multum legit, & omnino

minino tantū habet scientiæ, quan-
tum intelligens vir experiundo fa-
cilius animaduertet, quā indoctus
aliquis procul auscultando possit
suspicari. Atq; hoc in loco delitias
vestras obiurgarem, quod Iurisco-
sultum nisi eloquentem audire nō
pōtestis, cum in nobis non verba
spectanda, sed res ponderādæ sint.
Verum hoc alias si opus erit, nunc
in viam sane reuertamur. Medici-
na, præceptorem habet non prōp-
tissime dicentem, fateor, sed subti-
lissime profecto scientem. Contē-
namus igitur aut certe nimiū non
desideremus in illo florem oratio-
nis, a quo si absit, non valde sit re-
quirendus, salubritatem scientiarū
expectemus, quæ & in illo est ma-
xima, & nos eam præcipue sectari
debemus. Philosophiā & Rheto-
ricē tradunt mei familiares & Col-
legæ,

legæ, vix vt meum illis domesti-
cum testimonium prodesse possit.
Academia igitur testis ipsa esse
potest, non solum parati sermonis
& ingenij, sed etiam extemporalis
facultatis, quæ in vtroq; cernitur.
Nam magistrum in Dialectica tã-
quam ignotum hominem præte-
reo, tamen doctum esse non dubi-
to, quoniam Academia rationem
illius habuit, cuius iuditium mihi
semper præiuditiũ esse solet. Iam
in linguis tradẽdis, Hæbraica dua-
bus illa quidẽ columnis sustẽtatur,
altera vernacula, peregrina altera,
firma vtraque & solida, quomodo
narrant, ista qui norunt, nam ego
non intelligo. Græcus vero noster
Doctor qualis sit, omnes audiuistis
& meminisse potestis, sermone so-
luto, & dulci, scientia magna & va-
ria, celeri ingenio, memoria impri-

mis bona, denicq; præstanti etiam extemporali facultate. Breuiter, vt videtis, Oratio mea publica præceptores nostros præteruecta est, quos vberius etiã laudare poteram sed vobis cogniti sunt. Et hæc sint satis ad id, quod hoc tempore volumus, nimirum vt intelligatis, & libris & Magistris abundare nos cuiusq; generis studiorum, & nostram esse dissolutam & capitalem negligentiã, si tales domi nobis procreatas in omnes obuolitãtes sensus, & in ipsis infixas Academiæ nostræ visceribus opportunitates, oscitabundi contemplemur, & sine aliquo insigni fructu nostro dilabi patiamur. Sed ista si forte domestica fastidimus & nostra, nec has doctrinæ vias persequi volumus, nisi magnas ad opes, & summam dignitatem illis proficiscl

ficisci possimus, age vero non solū honestati uestræ, sed etiam ambitioni seruiam. Exeamus igitur aliquandiu ex Academiæ spatiis: & quidem recta pergamus ad aulam, vbi Iupiter ipse præsidet, imperiis & opibus affluens. Ibi nobilitatis flos primū nobis occurrit tam admirabili cupiditate literarum incensus, vt vndiq; sibi doctrinam & suis cōgreget. Nam partim ad nos ipsi deuolant, partim ad se nos euocant, pene omnes ita sentiant, ita loquuntur, ita præ se ferunt, vitam sibi vix hominum videri doctrinarum expertem, frustraque se possessionem agrorum suis liberis & fundorum relinquere, nisi sapientiam, & moderationem, artium studiis colligant, quibus recte facultates suas administrare possint. Ex hoc generoso nobilitatis ardo-

re, non vnus aut alter se nobiscum cõiunxit, sed integræ aliquot propemodum familiæ nostram in Academiam infusæ sunt & discendi causa nostros ad cœtus se aggregauerũt. Rutlandiorum præclara societas fuit, Matreuersi comitatus insignis, sed Matreuersus ipse singularis inter omnes & cuius pubertas multorũ iuuentutem omni laudis genere transcẽdebat. Hauara dorum adhuc globus cohæret, magna spe Suffolciensium par summum & excellens nuper est mortuum, de quibus cum sua, tum etiã matris honoratissimæ causa longa mihi sumenda esset oratio, nisi memoria viueret illorum, in libris, & nisi separatim in eo, quomodo posterã, elaborauissem. Omni autem hoc sermone nostro videmus effici minime nobis illa negligi debere,

re, nostræ tot personæ tam illustres quæ tantopere concupiuerunt: nec premiis carituras apud parẽtes artes nostras quibus pueritiam filiorum suorum imbui voluerunt, & adolescentiã institui. Quod si plane scire volumus, aliquanto adhuc propius intrare licet, & ad illum interiorem ascẽdere Senatum Regiæ Maiestatis, qui primum eloquentem habet illum Ciceronem alumnum olim, & incolã nostrum, nunc lautissimum sane virum & magno grauissimarum rerum vsu confirmatum: is autem ita doctrinæ deditus est & doctis viris, vt in illis quantum potest acquiescat, & quod Respub. temporis relinquit, totum ad hanc delectationem seuocet, quam penesolam ingenuam & homine liberali dignam putat. Northamtonensis cupiditate nostrorum

strorum studiorum ita flagrauit, vt ad illa cursum equorum incitaret, nostrisq; subsellijs ægregius hæros hominum nostrorum sermonibus operam dans, se collocaret. Qui cum suos hæredes forte non haberet, alciuit ex nostris externos, & illorum tenuitatem eximia liberalitate sustentauit. Suffolciensem vero Deus pro Suffolciensi subiecit, tanta rerum omnium similitudine nihil vt pene interesit, nisi quod in adolescente præclarissimam indolem admirabamur, in viro maturã veneramur, & perfectam virtutẽ, in illo spem sequebamur, in hoc tenemus ipsam. Reliquis ita confusi sunt omnibus ornamentis, vt non hospes in alienum, sed ipse mortuus Suffolciẽsis in suum suus locum immigrauisse videatur. Henrici ambo, & quidem ex eadẽ domo,

domo, ambo doctrina præditi, doctorum cultores sane præcipui; clementibus ambo naturis, vtroq; munificentia maxima, comitate summa. Quid autem Russelius? quam bene bonus? quam pie doctus? quam constanter Christianus? Iam Northumbriensis etiam licet plane Musarum voces propter Martis strepitus exaudire non poterat, tamen procul auscultando tantum arripuit vt intelligat sane satis. Et qua in re se nonnihil sensit impeditum, in eo filiũ Varuicensem (adhibito ad hoc ipsum ex nostris peculiari magistro) perpoliuit, præstantem illum iuuenẽ non solum omni laude reliqua popular, sed etiam hac nostrarum literarum & scientiæ. Tum etiam gener est eiusdem Ducis Sidnæus non solum præclaro musarum, sed

etiam

etiam amabili gratiarũ choro sti-
patus. Quod etiam Suffolciensis
in Iana sua prouidit, quæ mihi pe-
ne ex animo exiërat, cum huius-
modi sit & ore & pectore: vix vt
ætas (præsertim in illo sexu) tãtam
eloquentiæ videatur & prudentiæ
coniunctionem habere posse. Sed
hanc nobis admirationem minuit
lectissimum illud & lautissimum
par Regiarum sororum, quarum
maior natu Maria talis omnium
cõmemoratione celebratur, qua-
lem in veteri memoria Læliam,
aut Corneliam meminisse possu-
mus, nisi quod huius excellentissi-
mæ virginis vberior commẽdatio
esse debet, quam illa præclarissi-
marum fuit matronarum: alteram
ipse vidi præsens præsentẽ, & ve-
neratus sum, non auream, sed gem-
meam potius Elizabetham orati-
one

one tam pura & suaui, sententiis tam exquisitis & crebris, comitate tam admirabili, pudore quodam & grauitate suffusa, vix vt cum ea loquens & eius sermonem attendens, ipse loqui quicquam aut etiã cogitare possem. Sed longe mihi maior in fratre stupor obrepsit, quẽ Maiestate Regia Deus inter nos es lucere voluit, Regalibus nimirum & Imperatoriis spiritibus puerum & indole tam alte exaggerata, tam celso animo, tam eximia conspiratione virtutum vndique circumfluentem, tot vndique illuminatũ ornamentis, vt eius Maiestatẽ temporibus nostris diuinitus attributã dubitare non possimus. Nam quæ seperatim in aliis illustribus personis singula cõmemorauimus, horum ad Regiam Maiestatem vniuersorũ huiusmodi concursus sunt

vt eius habeat melleum os, omnem eloquentiam, ingenium incomparabile, sapientiam, perfecta ratio, iudicium, voluntas, virtutem, diligentia, doctrinam, denicq; reliqua omnis præstantia, laudẽ omnibus ex partibus insignem & eminentẽ. Itaq; licet præciosus & fragrãs iste fõticulus occultis venarũ viis meet in toto corpore diffusarum nostræ Reipub: tamen seclusis & sepositis cæteris, nostrorum studiorũ riuos tenebimus. Horum igitur tam puris & altis gurgitibus Regiæ Maiestatis pubertas innatat, vt nullum in vniuerso studiorum nostrorum mari flumen sit, quo non secundissime feratur. Summa varietate literarum & Aula est & Academia: sed summam huius summæ varietatis integrã in augustissimo Regenostro licet cognoscere. Nec fi-

ne

ne causa cognominamus augustis-
simum, in quo maximus ille totius
orbis terrarum Imperator Augu-
stus non solum exæquatus, sed etiã
sæpissime multiplicatus est. Nam
ille, Romanorum, Romanam: no-
ster hic augustus Angliæ, Roma-
nam primum ipsam exquisitissi-
me tenet, deinde Græcam adiun-
xit sane præclare. Cæteras autem
transmarinas infudit, tanta venu-
state & copia, singulis vt videarur
tanquam vernaculis vti. Tum su-
perior ille veterum temporũ Oc-
tauius, solam ad bellicam gloriam
adolescebat, ciuilem & literatam
laudem primum vel nullam, vel sa-
ne habebat pertenuem. Noster
vero recentiorum iste temporum
Eduardus sextus, & ad armorum
scientiã, magnificis velitationibus
præluit, & in pacis artibus ac or-

mentis sic euolauit, vt nulla ma-
ior eorum perfectio non solum in
actionibus apparere, sed ne in ani-
mo quidē informari posit. Deus
noster Deus, qui puerum olim il-
lum excitabas Octauium Augu-
stum, quatuordecem annos natum
ad statum Romanæ Reip. primū
quidem ex cœno seditionis extra-
hendum, deinde multarum & ma-
gnarum terrarum possessionibus
amplificandum, affla & imple, vel
pari, vel certe maiori spiritu, nostrū
eadem ætate Regē, nō Octauium,
sed quod amplius est, Henrici O-
ctaui filium, non iam Augustum,
sed quod multo maximū est, Au-
gustissimum, puberē adhuc Edu-
ardum sextum senibus suis maio-
ribus illustriorem. Hunc Deus do-
num tuum, & thesaurum nostrum,
tuum Militem nostrum Imperato-

rem

rem, tuum seruum, nostram salutem, tuis ita præsidiis muni, & vndique obsepi, nullum vt calamitatis genus hunc delicatissimum beneficio tuo nobis exortum florem perfringat, sed vt firmis stirpium fibris nexus, tuam primum religionem omnibus partibus constituat, deinde literas in toto regno, leges, & virtutem conserat. Et sane serit ille quidem indies hæc omnia, & inter nos etiam, & his ipsis in sædibus nostris in quibus quotidie insistimus. Quamcunque in partem nos commouemus in Regiã munificentiam vestigium ponimus. Regiis impensis linguarũ & artiũ scientia pub. in scolis nostris obsolescens, reuirescit. Regiis impensis solitudine dilabentes & ocio domus, in copiosissimam & literis refertam societatem cõ migrauerit.

Regia prouisione leges, Regia in-
dulgẽtia immunitates nobis & nos-
tris, reseruamus & damus. Regia
demq; sola (secundũ Deũ) & clemẽ-
tia stamus, & munificentia sustẽta-
mur, & authoritate floremus. Nec
vnq; Regia Maiestas se nobis im-
mutabit, cũ literarũ ipsa præcipuã
cõmendationẽ & summã habeat,
cum nobilitatem ad nos aggregari
videat, cum omnẽ Senatũ interiorẽ
vel eruditũ ipsum, vel eruditionis
admiratorem esse intelligat: cũ fa-
miliã ipsam a doctis habitari, cubi-
culum etiam a literis foras obsideri
& literis idem intus circumsonare
cernat. Maxime aũt cum Magistris
vtatur, altero Checo, incola quondã
& Academiæ nostræ inquilino Dij
boni quo viro! quantũ in illo facũ-
diæ! non peregrinioris huius & de-
generis, sed illius incorruptæ vete-

ris

ris & Ciceronianæ, quam magna & multiplex illi scientia: primũ in perceptione linguarũ, deinde in disciplinarũ cognitiõe, quarũ quas profanas & gentiles dicimus ita percurrit & euoluit, vt sacras interim & proprias nostræ religionis edidicerit oẽs & memoriter teneat. Tum in tam infinita scientia, summissus animus, sui nũq̃, aliorum semper ingenuus laudator & ad omnes bonos in summis occupationibus officiosissima comitas, breuiter omnia huiusmodi, Cãtabrigia semper vt in illo lætari debeat, Regia Maiestas diu frui possit, & vt spero, fruetur. Coniunctus est in illo munere, qui literis & pietate cũ Checo coniungitur Cocus, recõdita scientia vir, exquisito literarũ iudicio, multiplici doctrina, memoria sane admirabili. Cicellii, ante bien-

niũ officij causa sum ad ædes Coci prosequutus, quam ibi domũ vidi: imo paruam quandã potius Academiã. Equidẽ ibi versans in Tusculanis mihi videbar viuere, nisi quod fœminarũ etiã in hoc tusculano vigebat industria. Certe quidẽ in ipso Coco plus reperi salubris & frugi doctrinæ, plus in libèrorũ educatione piorũ, & paternorũ laborũ, q̃ huiusmodi domesticis parietibus videbatur cõtineri posse. Quoniã igitur artiũ nostrarũ in nobilitate, tam longa series antegressa est, vt eadem Regiæ Maiestati non solũ plenissime circumfusa, sed in illam ipsam vberrime infusa, deinde cum in præceptoribus Regiis copiosissime sit subsequuta: magnã ad extremũ & memorandã disciplinarũ nostrarum amplificationẽ cõcludi necesse est, si circumfluẽtibus vndiq;

ditq; præsidiis præclarissimorũ ordinũ omnis generis, & etiam flante Fauonio Maiestis Regiæ, nos etiã cõtinentibus studiis & perenni labore, verũ ad pietatẽ & artium optimarũ scientiam vela demus Qua in re vestris frætus officiis & diligentiis, omnẽ amputabo reliquam orationẽ: & ad præsentis loci considerationẽ vos reuocãs, in eo sermonẽ terminabo. Quoniã igitur coram vobis nunc scholam teneo, quæ videtis a me hoc tempore vestigia imprimi, in eadẽ paulo ante inhabitauerunt, & in eisdem vestigiis institerunt duo Cantabrigiẽsis Academiæ principes, & Checus, & Smythus, quos ego meis ita sermonibus semper inter se cõparaui, neutrum vt in nostris studiis altero superiorẽ, & tamen singulos aliis sane omnibus anteferendos esse putarem.

tarem. Hi, decursis inter nos pau-
corum annorum spaciis, ad arcẽ ex-
istimationis ascẽderunt: & iuueni-
liũ inter nos exantlatorũ laborum
magnos & maturos fructus perci-
piunt. Possem aliorum nominibus
nostrorũ hominum, volumen im-
plere, qui literarum cõmendatio-
ne maximas ad dignitates ascende
runt. Sed properanti tantum genus
ipsum fuit attingẽdũ, & principes
nominandi. Vos & istorum in pri-
mis, & cæterorũ itineribus optimo-
rum & eruditissimorum virorũ, ad
virtutẽ & doctrinã ingredimini,
primũ vt Deo, deinde etiã Regiæ
Maiestati seruiatis & Reip. postre-
mo vobismetipsis honestam
tem & Academiæ
gloriam affer-
re possi-
tis.

IN REGIAM MAIE-STATEM EDVARDVM

noſtrum ſereniſſimum, eius nominis ſextum: Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem, ac in terris, Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ caput Supremum: THOMAE VVILSONI Tetraſtichon.

REx bonus, in Patriã charus, bene prouidus Heros,
Eſt decus excellens: munus (Ioua) tuum.

Rex bonus, Eduardus, Regno eſt bene prouidus Heros.
Rex, bene quod regnat: Regnet (Ioua) diu.

TIPIS RICHARDI GRAFTONI.

Cum Priuilegio ad Imprimendum ſolum.